



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 242. Erant autem mulieres stantes à longe quæ eum secutæ fuerant. v.
55.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

nitentiam satragam pertrahere, docere & informare uti S. Bonifacius.

§. 239. *Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum. v. 54.*

Hic centurio erat cum sua cohorte in monte Caluarie destinatus per Pilatum, & Principes Iudeorum ut ab omni tumultu coerceret populum, & custodiret Iesum, donec mortuus in Cruce, & statutum esset de corpore quid ei esset faciendum. Verum hi miseri nescierunt primo quid custodirent, mox beati facti ab ipso, quam custodiebant, agnouerunt, dum esse suo Centurione, indubie uno e Romanis, ad quos iam tum gratia Christo a Iudeis deflexit.

O Utinam & ego tantam curam haberem tui, mi Iesu, in bono, quantum hi Principes in malo, ut te custodirem, mecum semper in ore & corpore ferendo, ore laudando & benedicendo, corpore & corde tenendo & amando, & nunquam dimittereris a me vel per minimam displicentiam.

§. 240. *Viso terremoto & his qua fiebant timuerunt valde. v. 54.*

Cum viderunt tam milites quam Centurio tot miracula in caelo sursum & in terra deorsum, solis & lunae obscuraciones praeter ordinem pleno die, motum terrae, petrarum fragorem, timuerunt valde, ne forte a terra vel viui dehiscerentur, vel lapidibus obruerentur. Bene, Bene Posuit enim Deus tertorem, nobis in secundarium paedagogum quando Ienem Dei inspirationem detrectamus sequi. O quot homines ad frugem deduxit, salutaris timor!

Domine Iesu saepe video mirabilia in rerum natura prodigia & terribilia, tonitrua, tempestates, ventorum turbines, aquarum inundaciones, urbium euerisiones, tot bella & mutationes, mortes & insidias, merito igitur timeo te Domine bone Iesu, timore Sancto, sed & oro te timeant te omnes homines propter mirabilia tua.

§. 241. *Dicentes: Vere filius Dei erat iste. v. 54.*

Beati vos, qui post tot visa mirabilia, & terrores coacti tandem estis agnoscere verum Deum & Messiam, & confiteri cum alleueratione: *Vere filius Dei erat iste.* Sed & beati sunt qui simili modo exterriti, ad Dei agnitionem & confessionem pertingunt.

Vutinam & ego per timorem mihi incussum semper veniam ad confessionem, & confitear cum Centurione lingua & moribus, imò gratia Martyrij Dominum nostrum Iesum Christum.

§. 242. *Erant autem mulieres stantes a longe qua eum secuta fuerant. v. 55.*

Adducit hic Euangelista quasi testes huius tragœdiae & confessionis mulieres

mulieres quæ steterunt in monte Caluariæ licet à longe, & hanc tragediam viderunt & audierunt, & quæ in vita Christum Iesum secutæ fuerant, vt audirent verbum eius & miracula viderent, modo etiam vt & finem vite eius viderent, an verba vltima vite eius conuenirent: optima tes, quod in vita fideles Magistro, etiam in morte fideles perstitissis. stantes autem erant à longe, ob multitudinem armorum, & confluentium virorum, ideo proprius accedere non commode poterant & præ verecundia & honestate muliebri melius à longe stabant, quam sese ingerebant, ut & ego verecundiam meæ personæ conuenientem semper retinere addiscam.

Domine etiam si non fuerim corpore præsens cum hisce mulieribus in monte Caluariæ ad videnda mirabilia hæc & miranda: at tamen etiam atque etiam rogo te piè Iesu maneant illa scripta in corde meo, vt ea mediter nocte atque die, & sic à longe non distantia affectus, sed solius temporis & loci, disunctus intervallo contempler tuam S. Passionem, maxime in Missæ sacrificio.

§. 243. *Ministrantes ei.* v. 55.

Non de vulgo fuere istæ mulieres, quæ de longè aspexerunt Domini exitum, sed eximie piæ & deuotæ, non solum aliqua pietate durante ad horam, sed assidua, & operibus, maxime liberalitatis, contestata. utpote quæ Christo in vita vsque ad mortè Crucis, ministrauerant, & omnè humanitatem. istæ cum B. V. Maria sunt Fundatrices status cælibis, status Virginialis, ac vidualis in Ecclesia Catholica celeberrimi, cuius professas, olim Diaconissas appellarunt, eo quod Sacerdotibus & Episcopis ad paramenta sacerorum texenda, lauandaque, item ad instructionem mulierum ac puellarum subseruirent.

Domine, doceor hic multa à tuo S. Euangelista. 1. beneficia aliorum describere & prædicare, peccata celare. 2. Triumphum gratiæ tuæ, quæ in sexu fragili cessantibus viris sese exerebat. 3. Ecclesiam Catholicam Romanam, vere esse eam quam tu fundasti verbo & exemplo. In hac enim sola viget professio Diaconissarum Virginum, & Viduarum ministrantium religioni, nuptias negligentium. Gratias tibi ago pro tuis doctrinis, da vt istæ perseuerent semper & opere compleantur assidue in tua Ecclesia.

§. 244. *Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome, & Iosiph Mater, & Mater filiorum Zebedai.* v. 57.

Vt posteritati constaret, quænam potissimum fuissent istæ piæ, fortes & deuotæ mulieres, quæ Christum & in vita & in morte secutæ ministrave-
eas,